



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Sacramentum Ordinis**

**Biesmann, Caspar**

**Coloniæ Agrippinæ, 1694**

Caput II. De Horis Canonicis sub gravi Obligatione recitandis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42240**

## CAPUT II.

*De Horis Canonicis sub gravi  
Obligatione recitandis.*

In Maiori-  
bus confi-  
tuti obligā-  
tur ad Ho-  
ras Cano-  
nicas.

Subdiacon-  
atum sus-  
cipiens ad  
quid obli-  
getur eo  
die, quo  
sacrum Or-  
dinem sus-  
cipit.

**C**lerici in Majoribus con-  
stituti, etiam dum sunt  
suspensi, excommunicati, de-  
gradati secundum Bon. & alios,  
contra alios, aut per dispensa-  
tionem Pontificiam uxorati,  
quia nullo privilegio à com-  
muni onere eximuntur, sub  
gravi culpa tenentur ad Ho-  
ras Canonicas quotidie reci-  
tandas, quamvis nullum Ec-  
clesiasticum beneficium obri-  
neant. Est comm. DD. passim  
asserentium hanc obligatio-  
nem si non sit ex jure positivo,  
saltem esse ex consuetudine  
graviter obligante V. Laym.  
*Tract. 1. de Hor. Can. cap. 4.*  
& alios. Eo die, quo quis  
Subdiaconatum suscipit non  
tenetur ad totum officium  
illius diei, sed solum ad Horas,  
quæ post sacri Ordinis susce-  
ptionem secundum consuetu-  
dinem

dinem seu Romanæ seu Diœcesanæ Ecclesiæ, in qua ordinatus est, dici solēt. adeoq; si horâ undecimâ ordinatus est, summum tenebitur ad Sextam & Nonam cum Vesperis & Completorio Pal. *Part. 2. tr. 7 p. 4.* Aut saltem secundum sententiam probabilem ad solas Vesperas cum Completorio Bonart. *Lib. 2 c. 9.* Non enim videtur Ecclesia velle eo die obligare Clericos ad parvas Horas, utpote partem spectantem ad Officiura præcedentis diei; sed solùm ad Vesperas & Completorium, à quibus inchoari solet Officium sequentis diei. Quod si anticipatò ante susceptionem sacri Ordinis recitâsses totius diei Officium, non teneris dein ordinatus quicquam repetere, quia quod debebas Ecclesiæ, anticipatè poteras solvere, & solùm quoad modum, dicendo v. g. Vesperas cum Completorio ante horam ordinationis, quæ solet esse ante meridiem

diem, aut recitando eo tempore, quo nondum erat initiatus Ecclesie Minister, non verò quo ad substantiam errasti, ita probabiliter Dian. Part. 6. tr. 7. res 38. cum Trul. in dec. tom 1. lib 1. cap. 7. dub. 17. contra Bon. te obligantem ad repetendas Horas, correspondentes tempori ordinationis, eo quod non recitaveris nomine Ecclesie, à quo nondum deputatus eras tanquam Minister ad publicas preces ejus nomine fundendas. Dixi 1. in Majoribus constituti. Nam Clerici minorum Ordinum ad nihil tenentur: quamvis ex decencia & honestate hos orationi magis deditos esse oporteat, quam laicos. Dixi 2. tenentur ad Horas, &c. Nam ad preces & sacra, quæ vel ipsis vel aliis recens Ordinatis, Episcopus solet injungere, nemo obligatur sub rigoroso præcepto, sed potius ex quadam decencia. Pelliz. in Man Reg. tr. 8. c. 2. & alii. Interim nemo inge-

Clerici in  
Minoribus  
an ad certa  
preces sint  
obligati  
Item an in  
sacris con-  
stituti te-  
neantur ad  
preces & sa-  
cra, quæ  
Episcopus  
ipsis recen-  
ter ordina-  
tis injungit.

ingenui pectoris detrectabit id implere, quod pie & laudabiliter ab Episcopo per modum consilii suggeritur. Cætera ad obligationem Horarum spectantia alibi fusiùs tractabimus.

CAPUT III.

De Corona & Habitu

Clericali.

**C**Lerici in majoribus Ordinibus, item omnes beneficiati obligantur ad coronam & habitum clericalem in cap. Si quis, de vita & honest. Cler. ut quemadmodum Clerici à Laicis discreti debent esse in conversatione, juxta verba Anacleti Papæ ad Ecclesias Gallicanas, ita tonsurâ & habitu, discreti appareant. Gestatur autem corona clericalis in memoriam coronæ spinæ Salvatori imposiæ, ut ejusdem Ministri, ad irrisiones & opprobria, pro gloria Domini sui sufferenda, promptos se paratèf-

Clerici in Majoribus, itē omnes beneficiati obligantur ad coronā & habitum clericalem.

Quorū corona clericalis gestetur.